



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 132. Bellum Livoniensibus a Moscovita nuntiatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul XVI  
A.C. 1557.

suam, ac perfidiam exprobrabat, & fru-  
stra illos Cæsaris gratiam, & opem im-  
ploraturos dicebat, cum ipsi ejus impe-  
ria tam impudenter contempserint, de-  
structis, ac violatis templis, & sacerdo-  
tibus injuriose habitis: si tamen qua-  
draginta millia Joachimicorum pro supe-  
riorum annorum debitibus solverent, &  
mille Hungaricos deinceps singulis an-  
nis pro ditione Torpatensi penderent,  
se pacem concessurum declarabat: ve-  
rum paucis post diebus, perinde ac si  
eum oblatæ gratiæ pœniteret, mittit ad  
legatos, qui summam imperatam exige-  
rent; quam cum illi numeratam se non  
habere dicerent, se tamen idoneis ei vadi-  
bus cavere, paratos exhiberent, nec ante  
discessuros promitterent, usque dum  
persoluta esset, Moscus, qui nonnisi  
hostiliter cum illis agendi occasionem  
quærebat, renuntiari legatis jubebat,  
quod ab eis toties delusus, perfidorum  
hominum amplius fidem sequi non pos-  
set, proinde in patriam quamprimum  
redirent, eos vero mox secuturus, atque  
ipsem pecuniam promissam ab iis ex-  
acturus esset.

## §. CXXXII.

*Bellum Livonensibus a Moscovita  
nuntiatum.*

Jam

Jam a Mense Novembri Moscoviæ Dux <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
Guilielmo Fürstenbergio supremo Li-  
vonici Ordinis Magistro, necnon Guiliel-  
mo Rigensi Archiepiscopo, Hermano  
Derptensi Antistiti, aliisque Episcopis,  
ac cunctis Livonibus bellum nuntiave-  
rat, ad prima autem anni sequentis au-  
spicia contracto trium millium exercitu  
in Tropatensem agrum populabundus  
descendit, cunctaque ferro, ac flamma  
devastavit: cumque ejus milites ne-  
minem, qui resisteret, offendarent, gra-  
naria, & horrea incendunt, cunctosque  
homines in plateis obvios trucidant, ma-  
ctantque greges, & armenta, quæ abi-  
gi non poterant, ubi etiam Pueri in-  
fra decimum ætatis annum necantur,  
qui vero vigesimum attigerant, omnes  
Tartaris tanquam mancipia venduntur,  
aliique hanc ætatem excedentes promi-  
scue sine ulla pietate jugulantur. Re-  
luebant ubique flammis pagi, & fumi-  
gantibus adhuc reliquis villis, quas an-  
tea incenderant, silvae tum puerorum,  
tum foeminarum ejulatibus late resona-  
bant. Tandem ipsa Torpatensis civi-  
tas se Moscovitis dederat, ac supremus  
Magister Guilielmus Fürstenbergius fu-  
ga ignave arrepta totam circacircum  
Regionem Moscovitarum, ac Russorum  
furori reliquit, qui etiam hujus Provin-  
ciæ

**Sæcul. XVI** ciæ possessionem detinebant, donec inde  
A. C. 1557. a Poloniæ Rege fuisse expulsi.

## §. CXXXIII.

*Causa hæresis in Poloniam  
invectæ.*

Hic idem Poloniæ Rex nominabatur Sigismundus II. Sigismundi I. Filius, qui vivente adhuc Patre suo, cui successerat, Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo octavo coronatus est. Illius regnum Lutheri hæresis invaserat occasione captata ex commercio, quod Procerum filii cum Germaniæ Protestantibus fovebant: illi enim studiis vacaturi istorum Scholas adibant, falso persuasi, quod Professores Universitatum, quæ a Catholica Ecclesia segregatæ sunt, longe magis celebres sint, quam Doctores Catholici, ac proin horum Procerum Filii literis humanioribus optime imbuerentur, quin divinæ literæ, quas hæresum scaturiginem esse reputabant, imiscerentur. Hæc ipsa cæcitas eo magis erat deploranda, quo certiori experimento Polonis compertum fuerat, quod easdem ob causas Suevia, aliaque Regna vicina in hæreses incidissent. Verum Poloni errorem suum tum primum cognoverunt, postquam malum haud ultra reparari poterat, eorumque